444

444
E 13

E
13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

46.
KW 444 E 13

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

Inofficioſo Teſtamento.

QUAM,
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.
Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ
Lugd.-Bat. Profeſſoris Ordinarii.

NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publicè defendendam proponit

PETRUS VELDTHUYS, ALCMAR.-BAT.

Ad diem 30 Septemb. loco horisque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

DEO
OPT. MAX.
PATRIÆ
PARENTIBUS,
AMICIS
ET
PRÆCEPTORIBUS

Hocce inaugurale exercitium eo, quo potuit, debiutque poſſe animo offert

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

PETRUS VELDTHUYS,

Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

Inofficioſo Teſtamento.

PROOEMIUM.

Teſtamenta, quantumvis ſecundum exactam juris civilis ordinationem ritè confecta ex poſt facto nihilominus tamen poſſe, vel ipſo jure infirmari, vel per ſententiam Iudicis mediante querelâ inofficioſi teſtamenti reſcindi, nullus ſanus qui modo Romanam Iuriſprudentiam à primo limine ſalutavit, uncquam negaverit per tot. Tit. J. quib. mod. teſtam. infirm. & tot. Tit. ff. J. & C. de inoffi. teſtam. *De quâ poſteriori ſpecie (alterâ brevitatis cauſâ omiſſâ) quia ex more Academico inauguraliter diſputare doctoralem lauream affectantibus impoſitum eſt, ex profeſſo agere pro ingenii modulo fixa mihi ſedet ſententia; non, quod mihi imaginer, hanc eſſe quaſi rariſſime antehac diſputatam materiam; non, quod putem me in hac materiâ, quid amplius, aut quid novi, quod ab aliis omiſſum videri poſſet, prolaturum; minime gentium: ſic enim*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

mihi ſuffenus eſſem, & Phaëtanteâ gloriâ elatus, execrabilis arrogantiæ reus agerer ſecundum ejus definitionem decret. diſt. 47. cap. 1. Lib. 3 Ethic. cap. 7. lib. 4. Ethic. cap. 7. *quod procul abſit à me: ſcimus enim nihil per omnia poſſe dici, de quo non latè dictum ſit prius, quinimo nullam poſſe eligi materiam ex toto illo juris Oceano, cujus frequenti & iteratâ in inauguralibus diſputationibus viciſſitudine noſtra non ſæpernumero perſonuit Academia, ut hic poſſimus dicere cum Poëtâ, dum canit:*

Omnia jam vulgata: quis aut Euryſthea durum?
Aut illaudati neſcit Buſiridis Aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodomeque? humeroq; Pelops inſignis eburno?

Sed cauſa inductiva hæc unica fuit, quia trahit ſua quemque voluptas: Hæc enim materia mihi præ cæteris, cum variarum materiarum in nobilitate æqualitas difficilem, dubiamque electionem faceret (nam diſtrahit animos in varietate electio) neſcio qua de cauſa arriſit, quamvis nullo modo eam ſufficienter ſuæ gravitati explicare meæ valeant vires; nec tamen eſt, quod mihi objiciatur illud Martialis:

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt:

Nam nulla adeo abjecta, & ſuâ facilitate vilis in jure materia eſt, in qua non viri ſolidæ eruditionis aliquando laborent: quæ cum utrimque ſtaret difficultas, malui ex nobilitate materiæ diſputationi ornatum quemdam quærere, quam ut vilitas materiæ vilitatem diſputationis magis magiſque proderet: Nemo igitur mihi candoris conſcientiam eripiet, & ſi cui hìc quid audacter auſus, nec tamen ritè perfeciſſe videar, huic mihi pro Clypeo laudata toties Ovidii ſententia, erit, dum canit lib. 3. de Ponto: eleg. 4.

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas
Hâc ego contentos auguror eſſe Deos.

CAP.

CAP. I.

In veſtibulo hujus diſputationis neceſſitas ante omnia exigit, ut inquiramus, quid ſit Teſtamentum inofficioſum, nam (ut cum Platone loquar) ſemper prima quæſtio debet eſſe de verbis, quamvis de re multo ſit potior: Definitur itaque quod contra pietatis officia factum eſt, rite quidem exhæredatis, vel præteritis iis, qui exhæredari, vel præteriri non debebant, ſed tamen iniquè, ut colligere eſt ex *l. 2. 3. 4. 5. ff. h. t.* quæ iniquitas, quia immeritò plerumque liberis inferebatur, dum eos parentes ſine cauſa exhæredarent & malignum circa ſuum ſanguinem judicium inferrent corrupti nimirum novercalibus delinimentis inſtigationibuſque corrigenda erat, eâque occaſione adinventa eſt querela inofficioſi, qua teſtamentum hujuſmodi contra pietatis officia factum, quia nihilominus omnibus juris civilis ſolemnitatibus munitum, adeoque ſummo jure validum erat, ſub colore dementiæ reſcinderetur *l. 2. 3. 4. 5. ff. h. t.* qui color dementiæ eum in finem prætendebatur, ut debita reverentia videretur parcere ſugillationi paternæ pietatis, cujus officia pater neglexerat: Sed notandum venit, quod, quando dicitur Teſtamentum eſſe inofficioſum, illud vocabulum inofficioſum per excellentiam in hâc materiâ anguſtis admodum cancellis concludatur, perſonas fratrum & ſororum non transgrediens, *l. 1. ff. & l. 21. C. h. t.* cum tamen alias quicquid præter officium pietatis ſit, quantumvis contra cognatos, recte etiam dicatur inofficioſum.

§. 1. Cum dictum fuerit querelam ad evacuandum teſtamentum inofficioſum adinventam eſſe: dubiè quæritur inter juris Interpretes, cui juri aſſignanda ſit ejus origo: Sunt, qui putant querelam originem ſuam debere juri prætorio, alii juri civili, quinimo nec defuerunt, qui eam ex jure mixto derivarent, ut videre eſt apud Bachov. ad Treutl. *ad h. t. theſ. 1. lit. D.* Verum enimvero mihi magis probatur ſententia eorum, qui eam moribus introductam, jure civili vero confirmatam contendunt arg. *l. 8. ff. de B. P. contra tabb.* ubi querela negatur vel juris civilis, vel prætorii eſſe; nec tamen, ut perperan alii ſentiunt, propterea ex jure mixto promonaſſe dicendum eſt, ſed omnino ex moribus, nam jus conſuetudinarium eſt tanquam medium inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

utrumque, denique noſtram ſententiam confirmat *Princ. I. h. t.* Vox inductum, quæ non legi, ſed moribus attribuitur *l. 32. ff. de ll.* nec non textus in *l. 1. 5. ff. h. t.* in verbis frequentes, obtinere aſſidue ſolent: ita ut omnino tenendum ſit, teſtamenta inofficioſa, cum ſummo jure ſubſiſterent, quia tamen iniquum videbatur filios immerentes excludi, ex moribus tandem paulatim per querelam reſcindi cæpiſſe: Teſte Valer. Max. *lib. 7. cap. 7.* & quæſo ſi querela publicâ lege data eſſet, quem in finem prætextus ille de ſiniſtrâ teſtatoris mente *l. 2. 5. ff. h. t.* quippe quo lex expreſſa non indiget, cum ejus vigor, & ſola auctoritas plenè ſufficere debeat: Nec moveor *l. 31. 32. C. h. t.* quas pro ſe aſſumunt, qui querelam juri civili adſcribunt, nam quod ibi querela dicitur moveri ab illis, qui ex antiquis, & prioribus legibus vocabantur, hinc non recte ipſam querelæ originem, ſed tantum ejus confirmationem ex antiquis legibus deſcendere jure concluſerint: propter text. alleg. non enim repugnat, quid moribus inductum ſimul lege probatum, & confirmatum eſſe, ut tamen ratione originis in terminis conſuetudinis remaneat: ex inſcriptione *l. 4. ff. h. t.* nulla eſt argumentatio, & ſi quæ, nulla eſt ejus conſequentia: quæ vulgo objicitur.

CAP. II.

His ita præliminariter præmiſſis, ipſa querela excutienda venit, quæ dictantibus *l. 2. 3. 4. 5. ff. h. t.* definitur, quod ſit actio quâ ritè quidem, ſed tamen iniquè exhæredatus, vel præteritus petit teſtamentum tanquam inofficioſum reſcindi, ſimulque ſibi hæreditatem reſtitui; ita ut hæc actio non ſit imploratio Judicis, quâ aditus ad petitionem hæreditatis fiebat, ſed eam involutam habeat: hinc qui de inofficioſo queritur, Ulpiano dicitur in *l. 8. §. 8. ff. h. t.* petere, & in *l. 27. §. pen. eod.* vindicare hæreditatem: Paulo in *l. 21. §. 2. eod.* evincere hæreditatem, & in *l. 28. eod.* ad quem pertinet hæreditas: Scævolæ in *l. 20. eod.* movere hæreditatis petitionem, non (ut diſſentientes volunt) demum poſtquam ſuperior in querelâ evaſerit, ſed protinus ex ipſâ inofficioſi cauſâ *l. 34. C. h. t. in verb.* nullâ hæreditatis petitione ex nomine de inofficioſo conſtitutâ, vel præparatâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

ratâ: & hinc eſt, quod, ne non querela ſemper adjunctam poſſet habere hæreditatis petitionem, hæres ſcriptus, quaſi à furioſo factum eſſet teſtamentum, pro non ſcripto habeatur *Princ. I. l.* 17. §. 1. *ff. h.t. l.* 1. *C. eod.* & querulans pro vero hærede ab inteſtato *l.* 6. §. 1. *l.* 21. §. 2. *ff. eod.* quia alias non forent termini habiles petitionis hæreditatis, quippe quæ non datur, niſi vero hæredi adverſus pro hærede, vel pro poſſeſſore poſſidentem *l.* 1. 3. 9. *ff. l.* 7. *C. de petit. hæred.* duo ſunt argumenta, quæ in contrarium adduci vulgo hìc ſolent, deſumpta ex falſis præſuppoſitis, nimirum, quod querela detur contra verum hæredem, & non hæredi: ſed putem, illa ſufficienter refutari per allegatas rationes, ideoque ea miſſa faciam, ne iteratò idem dicatur, nam ut inquit Poëta

— — — *Crambe bis poſita mors eſt.*

CAP. III.

Omnia, quæ hactenus à nobis expoſita ſunt, certo certius fruſtra forent, niſi & in hoc allaboraremus, ut, quinam ad noſtram querelam admittantur, expeditum fieret: dicendum eſt igitur, ordine primos admitti liberos omnes injuſtè à patre exhæredatos, vel præteritos à matre (materna enim præteritio vicem exhæredationis obtinet §. *ult. I. de exhæred. liber.*) qui ſenſus eſt Authent. ex cauſa *C. de liber. præterit.* jus enim novumquam ſtrictiſſimam recipit interpretationem, quantumque poteſt ex jure veteri explicari debet, nam quod expreſſè prohibitum non eſt, cur ſtare prohibebitur *l.* 27. *C. de Teſtam.* Nec immerito prima cauſa in querelâ liberorum eſt, quoniam & eorum cauſa prima habetur in ſucceſſione ab inteſtato, quippe queis naturalis ratio, ceu lex quædam tacita parentium hæreditatem addicit, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando *l.* 7. *ff. de bonis damnat.* ſine diſtinctione, ſive ſint maſculini, ſive fœminini ſexus, ſive primi, ſive ulterioris gradus, ſive cognatici, ſive agnatici juris *per Nov.* 118. *c.* 1. *&* 4 ſive nati, ſive poſthumi §. 2. *I. h. t. l.* 6. *ff. eod.* excepto caſu *l.* 3. *C. h. t.* qua lege jure ſingulari poſthumus non evertit teſtamentum per querelam ſed ceteris pro virili accreſcit: ratio ſingularitatis fundatur in præſumptione legis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

gis, nimirum quod mater, quæ antè graviditatem teſtamentum condiderat, ſi diutius vixiſſet, poſthumum quoque poſtmodum hæredem inſtituiſſet: ita ut repentini caſus iniquitas per conjecturam maternæ voluntatis emendetur; quâ conjecturâ ſed in diverſo caſu, falſo delati rumoris iniquitas corrigitur, & jus ſingulare introducitur in *l.* 28. *ff. h. t.* ſed hìc dubitatio exſurgit, an poſtumus jure novo exhæredari adhuc poſſit, ſiquidem per *Nov.* 115. *Cap.* 3. qualificata requiritur exhæredatio, quæ in poſthumum cadere nequit, quia nullam ingratitudinis cauſam committere poteſt, neque alterius odio prægravari debet *l.* 33. *fin. C. h. t.* ſed putem poſſe eum exhæredari, vel bonâ mente *l.* 18. *ff. de liber. & poſthum.* vel ſaltem eo effectu, ut querelâ ſibi conſulere debeat; ratio eſt, quia jus vetus non eſt expreſſe prohibitum, & denique poſthumi nuncquam debent eſſe melioris conditionis, atque jam nati; quinimo ad ſummum tantum ejuſdem conditionis ſunt cum jam natis, quando de eorum commodis agitur *l.* 7. *l. pen. ff. de ſtatu hom.* ſed obſtat poſthumus ſemper vincet, quod ſtolidum eſt: verum Reſp. falſum prædicatum aſſumitur, nam poſthumus bonâ mente exhæredatus non vincet *l.* 18. *ff. de liber. & poſth.* & præterea in aliâ exhæredatione adhuc tamen obtinet, ut poſthumus querelâ, non nullum dicendo, teſtamentum evertat, ad conſervandam voluntatem Teſtatoris in legatis, & capitulis aliis, ut fit per quærelam *Nov.* 115. *cap.* 3. *in fin.* & *cap.* 4. *in fin.*

§. 1. Præterea ratione liberorum, nihil refert, ſintne ex juſtis nuptiis quæſiti, an adoptivi, modo hi tranſierint in poteſtatem adoptantis (dum eſt ex aſcendentibus) & ſimul in ejus poteſtate ad mortem uſque remanſerint *l pen. C. de adopt.* Impubes autem arrogatus, quia habet quartam ex Conſtitutione Divi Pii, ſi injuſte exhæredatus, vel emancipatus ſit §. 3. *J. de adopt.* à querelæ remedio removetur *l.* 8. § 15. *ff. h. t.* quippe cui per ſuam quartam abunde proſpectum videtur: liberi naturales, & ſpurii matris quidem teſtamentum impugnare poſſunt, non autem patris *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* exceptio tamen eſt in ſpuriis, ſi mater ſit illuſtris, quia nequidem ab inteſtato ſuccedunt *l.* 5. *C. ad S. C. orphit.* & abſurdum foret, ſi lex imponeret neceſſitatem inſtituendi eos, quos ipſa ab inteſtato non vocabat: legitimati, ut verbulo dicam toties, & eatenus queruntur, quoties & quatenus jns ſuccedendi habent, vide *Gomeſ. ad l.* 9. *tauri.*

§. 2. Quæſtio hoc loco appoſitè ventilari poteſt, an liberis non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

non querulantibus, parentes eorum nomine illis invitis ad querelam admittantur; & primo intuitu videtur poſſe reſponderi, quod ſic per *l. 17. §. 11. ff. de injuriis*, ubi pater vindicat injuriam liberorum, exhæredatio autem eſt injuria per *l. 4. ff. h. t.* & *Novell. 115. cap. 5.* ſed tamen contrarium ſtatuendum puto, per *l. 8. pr. ff. h. t.* ubi etiam ratio differentiæ ſuppeditatur, ſcilicet quia injuria exhæredationis ſolum liberos, non patrem afficit, quod eſt ſecus, in injuriâ, quam pater vindicat in *d. l. 17.* idem judicium eſto de Nepotibus, quando parentes exhæredati queri nolunt, verum ex alia ratione, videlicet, quia illis non debetur legitima *arg. l. 9. §. 2. ff. de lib. & poſth. & l. 34. C. h. t.* nec obſtat exhæredatus aſſimulatur mortuo, nam hoc tunc demum obtinet, quando ritus, & juſtitia exhæredationis tantam efficaciam conſtituunt, ut teſtamentum nullo modo per querelam vacillari poſſit, & tunc etiam ſanè hoc intelligi debet.

§. 3. Secundo loco poſt liberos, dum illi vel non exiſtant, vel exiſtentes agere nolint, vel nequeant *l. pen. ff. h. t.* admittuntur parentes utriuſque ſexus, ſive exhæredati, ſive præteriti, nihil refert *l. 14. 15. ff. h. t.* quinimo etiamſi fratres hæredes inſtituti fuerint *l. 17. C. h. t.* contra teſtamenta liberornm emancipatorum, non ſuorum, quia iis non eſt teſtandi facultas, niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi, quæ querelam evadunt *l. ult. C. h. t.* diſſentit *Treutl. hic th. 2.* Nec hoc jus, quantum attinet ſuos, in bonis caſtrenſibus mutatum eſt per *Nov. 115. cap. 4.* quippe quæ debet explicari ex jure veteri communi, quod contra ſuos nullam querelam agnoſcit *d. l. ult. C. h. t.* adeoque intelligi de liberis emancipatis: parentes autem (ut ad propoſitum redeamus) non admittuntur, uti liberi ob naturalem rationem, ſed ſolam commiſerationem, pietatis intuitu, cum parentibus non minus piè turbato mortalitatis ordine debeantur bona liberorum, quam liberis parentum, ut habeant quoddam ſuæ orbitatis ſolatium, quod dolorem mitiget *l. 15. ff. l. 28. C. h. t. l. 7. §. ult. ff. ſi tabb. teſtam.*

§. 4. Ultimo loco poſt liberos & parentes ad querelam tandem vocantur fratres & ſorores, germani, & conſanguinei ſimul *l. 27. C. h. t.* Non ob naturalem rationem, vel etiam commiſerationem, ſed ob odium prælati turpis hæredis *d. l. 27. C. h. t. §. 1. J. eod.* modo tamen fratres ſint vitæ integri, ejuſdemque turpitudinis puri; nemo enim rectè in alio reprobaverit mores, quos

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

in ſe probat *l.* 47. *ff. ſoluto matrimon. l.* 11. *C. h. t.* liberi uterini à querelâ removentur per *d. l.* 27. *C. h. t.* ratio differentiæ inter illos, & conſanguineos ſuppeditatur à *Perez. ad Cod. hic num.* 12. *& Zoeſ. n.* 20. *hic itidem.* ſcil. arctior cum conſanguineis neceſſitudo propter jura familiæ, originis, & nominis per patrem communem communia: quicquid ſit quoad rationem, ſaltem de jure non dubitatur: ſed occaſione ejus, quod diximus fratres demum propter hæredis turpitudinem amitti, congrediuntur Juris Doctores, acriter diſputantes, an, quantum ad querelam, ſpurius pro turpi perſonâ habeatur; verum quicquid diſputat Schola affirmantium, negativa mihi magis placet ſententia, dum movear variis, & hiſce quidem argumentis, quia ſpurius admittitur ad dignitates, cum tamen portæ dignitatum infamibus obſeratæ ſint *l.* 3. §. 2. *ff. de decurion. & l.* 2. *C. eod.* quia nuſpiam per juris vel facti infamiam notatus invenitur, nam nemo ex alieno facto, ſed tantum ex ſuo, facti infamiam ſubit *arg. l.* 1. *ff. de his, qui notant. infam.* nihil autem illis id poſſe imputari, certiſſimum eſt, quia non potuerunt prohibere: at inquies, ſpurius ſaltem levi maculâ ex nativitate aſperſus eſt, nec amplius quid requiritur ad id, ut querela contra eum competat: ſed reſpondeo negando, quia naſci ex adulterio non eſt culpa naſcentis, ſed generantis, cujus culpa nullam naſcenti maculam infligere poteſt *arg. l.* 26 *ff. de pœnis.* Quæritur amplius quid ſit dicendum, ſi de facto turpis perſona hæres ſcripta ſit, habeatque cohæredem virum integerrimum? reſpondeo, eatenus hæreditas per querelam vindicabitur, quatenus ea ad turpem perſonam pertinet, quia eatenus tantum peccatum eſt: ſed regeret forſan aliquis, illud repugnare primis noſtri juris, elementis dictantibus, neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere, pugnamque teſtati, & inteſtati naturalem eſſe *l.* 7. *ff. de R. I.* verum reſponſio in promptu eſt, videlicet, quod illa regula ſuas deperdat vires, caſu quo ex poſt facto reſcinditur teſtamentum, vide *l.* 15. §. *fin. l.* 19. 24. *& ſeqq. ff. h. t.* ut enim virtualiter obtineat, teſtamenti nativitatem reſpiciat, neceſſe eſt.

§. 5. Reliquos ex tranſverſâ lineâ ultra fratres, & ſorores dehortatur Imperator auxilium in querelâ quærere, præmonetque ut inutilibus ſumptibus pereant, cum ſpem obtinendi non habeant *in §.* 1. *in fin. J. h. t.* item J. C. *in l.* 1. *ff. h. t.* quinimo J. C. *in*

l. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

l. 6. §. 1. ff. h. t. amplius quid dicit: nempe nullum emolumentum ipſis ex victoriâ, quam fortè nemine contradicente obtinuerint, obventurum, ſed ſolum iis, qui ab inteſtato ſucceſſionem habent, totam hæreditatem lucro fore. Nam res ad auſam inteſtati per querelam redigitur, *d. l. 6. §. 1. ff. h. t.*

§. 6. Quia; ut præced. §. notavimus, fratres ultimo demum loco in remedio querelæ collocantur ſecundum *ll. ff. & Cod.* pulcrum dubium ſeſe offert, utrumne fratres germani, quia jure novo æqualiter cum parentibus ad ſucceſſionem ab inteſtato vocantur per *Nov.* 118. *cap.* 2. æqualiter etiam cum parentibus ad querelam admittendi ſint, necne: rationibus utrimque ſeriò perpenſis, nullus dubito eorum ſubſcribere calculo, qui negativam ſententiam, ut veriorem & probabiliorem amplectuntur: Motus hic præcipuè rationibus, quia jus novum ſtrictè debemus interpretari, quantumque poterimus, ex jure veteri explicationem ejus quærere, ut, quod expreſſè prohibitum non eſt, quantum poterit, in ſuo vigore conſervetur *l.* 27. *C. de teſtam.* jus autem vetus fratres demum poſt parentes ad querelam vocat per *l.* 17. *C. h. t.* ergo non debent concurrere: & præterea, quia perquam abſurdum ſonat, quod querela, remedium illud extraordinarium certarum perſonarum ratione introducta abſque neceſſariâ conſequentiâ extenderetur *l.* 14. 15. *ff. h. t.* nec (quod amplius) tantum certarum perſonarum ratione introducta eſt, ſed etiam certo modo, ut ſcilicet primitus liberi gradu proximiores, deinde parentes, poſtremo fratres ad querelam admitterentur, non cumulativè *l.* 1. *ff. h. t.* *l.* 17 *C. h. t.* quem modum licet nullo modo annihilare ſine lege aliâ derogante: ſed difficiliorem diſquiſitionem habet, an non ſaltem caſu, quo pater de teſtamento inofficioſo triumphaverit, victoria fratribus germanis profutura ſit: & (ſalvo meliore judicio) ne hoc quidem concedendum putem, cum enim jure extraordinario certæ perſonæ tantum ad querelam vocantur, quâ de cauſâ illis, qui per leges removentur ab eâ, nihilominus tamen ejus victoria prodeſſet? præterquam quid ridiculum foret; eidem negare querelam, & concedere ſucceſſionem ex querelâ: Nec obſtat quod per querelam ab inteſtatò ſuccedatur, ab inteſtato autem fratres parentibus exæquatos eſſe. Nam reſpondeo, exæquatio illa tum demum locum habet quando ſimpliciter, ab initio, per ſe, & vi legis cauſa inteſtati obtinet, non vero quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

do ex poſt facto vi Judicialis ſententiæ cauſa teſtati ad cauſam inteſtati redigitur, quia tunc earum tantum perſonarum intuitu inteſtati cauſa obtinet, quarum prior ratio in querelâ habetur *arg. l. 63. ff. de re judicat.* juncta *l. 15. ff. l. 17. C. h. t.* ut, licet egerint & obtinuerint, quibus querela non competebat, cauſa tamen inteſtati ſolum illis perſonis aperta ſit, quibus ſuo jure querela competere poterat *l. 6. §. 1. ff. h. t.* idem judicium eſto de omnibus ejuſdem farinæ quæſtionibus, ex exæquatione reſultantibus, quæ *in d. N. 118. cap. 2. 3. 4.* occurrunt.

§. 7. Cum jam innotuerit, quid circa aditum ad querelam in liberis, in parentibus, in fratribus ſeparatim obtineat: pauca quæ ad omnes congregatim ſpectant, & adhuc intacta ſuperſunt, breviter ſubjungam de trammiſſione querelæ: ſcilicet quod querela olim quidem, non niſi præparata à defuncto ad hæredes ſive extraneos, ſive ſuos tranſiret *l. 6. §. ult. l. 7. ff. h. t.* quod tamen jure novo, quamvis in extraneis idem ſervetur, in ſuis mutatum eſt per *l. 34. C. h. t.* Hinc graviſſima oritur quæſtio, an filio juſtè exhæredato nepos ex propriâ perſonâ ad impugnandum teſtamentum avi ſui admitti debeat? quod mihi non videtur, ratio eſt, quia avus non neceſſitatur inſtituere, vel exhæredare nepotem, quem pater gradu præcedit *l. 6. pr. ff. de injuſt. rupt. irrit. facto teſtam.* & ratio rationis eſt, quia tali nepoti non debetur legitima *arg. l. 6. C. h. t. junct. Nov. 18. in fin. & l. 1. ff. h. t.* hanc ſententiam confirmat correctio *in l. 34. C. h. t.* ubi dicitur, quod ex conſtitutione eâ nepoti, qui antea omni adjutorio deſtitutus erat, eadem jura tribuantur, quæ pater ejus habiturus fuiſſet, undè recte concluditur, quod hujuſmodi nepos nullum jus querendi ex propriâ perſonâ habeat, quia alias fruſtanea, & deriſoria foret nova illa conſtitutio in *d. l. 34. C. h. t.* cum potius ſit habere jus ex propriâ perſonâ, quam patris, quia hoc caſu nepoti obſtabunt, quæcunque patri nocitura fuiſſent, *d. l. 34. in med. C. h. t.* probatur variis aliis hæc ſententia argumentis, vide *l. 9. §. 2. ff. de liber & poſth. l. 4. §. 1. ff. B. P. contra tabb. l. 7. ff. unde liberi.* Nec deſunt tamen, qui in contrariam ſententiam abeunt, inter quos eſt *Vinn. lib. 1. ſelect. quæſt. C. 20.* cujus primum argumentum eſt in *l. pen. ff. h. t.* ubi dicitur ſucceſſioni locum eſſe in querelâ, ſed reſp. non graduum, ſed ordinis, ſecundum quem querela primo conceditur liberis, deinde parentibus, dum illi vel agere nequeant,

vel

vel nolint, & ſic porro: Uti ita in terminis deciſum eſt in *l.* 14. *ff. h. t.* & præterea quod ad ſucceſſorium edictum attinet, nego argumentum ab eo valere ad querelam, quia in edicto nec eſt, nec obſtat teſtamentum, in querelâ vero & eſt & obſtat, denique edictum tantum ad bonorum poſſeſſionem pertinet, querela autem ad civilem, & ſpecialem ſucceſſionem.

CAP. IV.

Expoſito jure eorum quibus querela competit, ſupereſt, ut diſpiciamus, contra quos ea intentari poſſit: intentatur itaque contra quemvis hæredem ſive ſcriptum, ſive nuncupativum *l.* 31. *in fin.* C. *h. t.* neque attenditur, ſit ne hæres ſuus an vero extraneus *l. pen.* §. 1. *ff. h. t.* quia in cauſâ de inofficioſo, non tam agitur de jure vocatorum, quam quidem de injuria eorum, qui iniquè immerentes exhæredati, vel præteriti ſunt: Nec porro, ulla vel dignitatis, vel conditionis perſonarum ratio habetur, quinimo licet Princeps hæres ſcriptus fuerit, omnino contra ſe querelam admittet, licet ſit ſupra leges *Nov.* 105. *in fine l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* ut nimirum populum earum obſervantiorem redderet, nam ut inquit Claudian. *de* 4. *Conſul. Honor.*

In commune jubes ſi quid, cenſeſve tenendum
Primus juſſa ſubi: tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Datur etiam contra fiſcum *l.* 10. C. *h. t.* eſt enim fiſcus jure hæredis *d. l.* nec non & piam cauſam arg. *l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* junctâ *l.* 1. §. 5. *ff. ad L. Falcid.* pia cauſa enim non debet eſſe melioris conditionis, atque ſunt liberi, quibus lege quâdam tacitâ naturæ parentum ſucceſſio debetur *l.* 7. *ff. de bon. damnat.* contra quos nihilominus dari querelam manifeſtum eſt ex *d. l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* datur etiam contra eum, qui liberam teſtandi facultatem à Principe accepit *l.* 35. C. *h. t.* abrogatâ *l.* 3. §. 1. 2. *ff. de bonis libertor.* ſed dubium videtur eſſe, an querela detur contra fiduciarium hæredem univerſalem, ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

cundum ſummos juris apices, hæres fiduciarius, univerſali fideicommiſſo gravatus, non videatur poſſe conveniri actione de inofficioſo, quia nec ut dominus hæreditatem poſſidet *l. 3. ff. ſi uſusfr. petat.* nec pro hærede, quia alium hæredem nempe fideicommiſſarium agnoſcit, nec pro poſſeſſore, quia habet titulum ex causâ fideicommiſſi arg. *l. 3. ff. ſi uſusfr.* ſed exploſâ illâ juris ſcrupuloſitate nihilominus illud affirmandum videtur *per l. 1. C. h. t.* ubi talis hæres, ad evitandum illud juris acumen, pro hærede, vel pro poſſeſſore hæreditatem poſſidere fingitur: modo tamen querela intentetur ante reſtitutam hæreditatem, *l. 55. §. ult. ff. ad S. C. Trebell.* junctâ *l. 27. §. 7. ff. eod.* nam ſi fiducarius hæres conveniretur poſt reſtitutam hæreditatem, & ſuccumberet, nihil illud fideicommiſſario hæredi præjudicaturum eſſet *l. 63. §. 2. ff. ad S. C. Trebell.* Quod autem fideicommiſſarius hæres querelâ teneatur, non eſt, quod dubitemus, præcipue, poſtquam jam fideicommiſſariæ hæreditates ex Senatuſconſulto Trebelliano reſtitui cæperint *§. 7. J. de fideicom. hæred.* cujus vi omnes actiones, tam activæ, quam paſſivæ in fideicommiſſarium hæredem efficaciter transferuntur *d. §. 7. & l. 27. §. 7. ff. ad S. C. Trebell.*

§. 1. Præmonendum autem videtur, antequam ad alia transgrediamur, non ſtatim immediatè à morte teſtatoris naſci querelam, ſed tum demum, quando jam adita eſt hæreditas *l. 8. §. 10. in fine ff. h. t. l. 34. inf. C. l. pen. §. 2. C. eod.* ratio eſt, quia aditione demum confirmatur exhæredatio, & conſummatur ejus injuria *l. 12. §. 5. ff. de bonis libert.* Nam ſi non adeatur hæreditas, (quæ ad petitionem ejus, qui ſperat querelam intra ſex, vel duodecim menſes à morte teſtatoris, prout vel præſens, vel abſens hæres fuerit inſtitutus, adiri debet *per l. 36. §. ult. C. h. t.*) totum corruit teſtamentum *l. 20. in med. ff. de B. P. contra tabb.* adeoque non opus eſt querelâ, quia donec ſupereſt ordinarium remedium ad extraordinarium recurrendum nequaquam videtur arg. *l. 16. ff. de minorib. jun. §. 2. I. h. t.*

CAP. V.

Nunc ratio ordinis exigere videtur, ut diſquiramus de effectu querelæ: ad quod ut ejus progreſſus facilitetur, duplex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

plex conſideratio uſui veniet, vel quâ actor vincit, vel quâ ſuccumbit: Si conſideremus actorem victorem, ecce quæ indè ſequantur emolumenta: teſtamentum per querelam eò uſque exinanitur, ut ne quidem in ſuis ſequelis ſubſiſtens plenè inteſtati exitum patiatur *l.* 8. *§. pen. ff. h. t. l.* 28. *ff. eod.* nec tamen hoc ita univerſaliter verum eſt, quin inveniantur quidam caſus, qui ob ſingulares rationes, excipiuntur: vedeſis *l.* 17. *§.* 1. *l.* 28. *ff. h. t. l.* 10. 19. 24. *ff. h t.* in quibus, vel ſequelæ, vel ipſa inſtitutio pro parte conſervantur: ſed è contrario, ſi actorem conſideremus victum, ecce quæ inde ſequantur incommoda: Actor excidit relictis, fiſco applicandis *l.* 8. *§.* 14. *ff. h. t.* ita ut hic effectus querelæ, quia perperam intentata fuit, pœnalis quodammodò dici poſſit: Nec tamen hæc pœna in omnem eventum perpetua eſt: Sed ceſſat variis modis: Videlicet, ſi actor ante ſententiam à lite improbâ deſtiterit; ſi fuerit abſens; ſi ex cauſâ fideicommiſſi fuerit obligatus ad reſtitutionem, ne facto alterius alteri inferatur gravamen, tunc enim tantum privabitur commodo quartæ falcidiæ) *l.* 8. *§.* 14. *ff. h. t.*

§. 1. Quod autem diximus in *pr. huj. Cap.* querelam in totum exhaurire teſtamentum, ita ut cauſa teſtati ad cauſam inteſtati redigatur *l.* 8. *§. pen. l.* 28. *ff. h. t.* illud à jure novo reſtrictionem recepit *in Nov.* 115. *Cap.* 3. *& Auth. ex cauſ. C. de liber. prateverit.* quâ cautum eſt, ne querela vim ſuam ultra inſtitutionem exſerat, cæteris capitulis in ſuo pleniſſimo vigore manentibus, adeoque in tantum juri veteri per jus novum derogatum eſt.

CAP. VI.

Quidquid hactenus ad explicationem hujus materiæ congeſtum eſt, ſolum ad conſtituendam querelam pertinuit, nunc vero tandem invitamur ad id, ut exploremus, quibus ea caſibus ceſſet: Nam & ipſi Imperatori admodum familiare eſt, ut quamprimum expoſuerit ea, quæ ad alicujus rei conſtitutionem valere putavit, immediatè ea ſubjiciat, quæ ad ejus rei imminutionem & ceſſationem pertinent Vide *lib. Tit.* 10. 11. 12. *Inſt.*

§. 1. Ut itaque rem ipſam aggrediar: ceſſat querela, quoties aliud æquè pingue remedium competit *§.* 2. *I. h. t.* querela enim

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

eſt remedium extraordinarium, hinc dicitur ultimum adjutorium *l. ult. C. de liber. præterit.* ad quod non eſt recurrendum, quamdiu aliud ordinarium æque pingue remedium ſupereſt arg. *l. 16. ff. de minorib.* excepto eo, quod querela cum falſi accuſatione concurrere poſſit ſine alterutrius præjudicio *l. 14. C. h. t.* ratio videtur eſſe, quia iidem utriuſque effectus ſunt, videlicet, quod utraque actio, vel teſtamenti everſionem, vel relicti amiſſionem ſuo actori operetur, prout ſententia vel prò, vel contrà pronunciata fuerit *l. 6. §. 1. l. 28 ff. h. t. Nov. 115. Cap. 3. l. 8. §. 14. ff. h. t. l. 8. C. de his quib. ut indign. hæred. auferunt*: Nec obſtare videtur, quod is, qui egit falſi accuſarione, excludatur à bonorum poſſeſſione *l. 19. ff. de bon. libertor.* nam reſpondeo: diverſam eſſe rationem, quia petitio patroni *in d. l.* includeret aliquid legibus contrarium, cum nimirum tenderet ad ſupplementum legitimæ ex teſtamento, quod tamen falſi accuſatione evertere tentaverat *d. l. 19. ff. de bon. libertor. junc. l. ult. l. 23. §. 1. ff. h. t.*

§. 2. Cum quiſque juri pro ſe introducto valide renunciare poſſit *l. pen. C. de pactis.* Hinc quoque removetur querela per renunciationem factam ab eo, qui ſive per ſe, ſive per ſuæ poteſtati ſubjectos jus querendi de inofficioſi habebat *l. 12. ff. h. t.* quod uſque adeo verum eſt, ut non ſolum querela excludatur per expreſſam repudiationem ut in *l. 15. §. 1. ff. h. t. l. 17. ff. h. t.* Verum etiam per tacitam remiſſionëm, quæ vel ex agnitione relicti *l. ult. §. ult. ff. h. t.* vel ex ſolutione ejus, quod defuncto debebatur, vel aliis ſimilibus cauſis colligi poterit *l. 23. §. 1. ff. l. 8. §. 1. C. h. t.* quæ tamen tacita remiſſio, non tam producit hoſce effectus, proprie dicendo, ex eo, quod repudiata cenſeatur querela, quam quidem ex eo, quod juris rationi repugnet, aliquem velle diſputare de jure hæredis, vel teſtamenti, quem. quodve, quâ talem, vel tale per agnitionem, ſive ſolutionem jam antè agnovit, & comprobavit arg, *l. ult. ff. h. t.* ſed occaſione renunciationis olim quærebatur, quid juris eſſet, ſi filius expreſſe conſentiens ſuæ exhæredationi, addito pacto de non veniendo contra patris judicium, an validè querelæ renunciatum videretur, necne? Sed Imperator exploſo veteri jurgio decidit hanc quæſtionem, negatque hujuſmodi pactum filios gravaturum, exiſtimans, eos magis meritis ad obſequia paterna provocandos eſſe, quam pactionibus aſtringendos in *l. 35. C. h. t.*

§. 3. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

§. 3. Sed, uti approbatum ſemel judicium defuncti excludit querelam ad ſui reprobationem, ita quoque reprobatum ſemel judicium defuncti excludit qualemqualem actionem ad ſui approbationem, quæ ad conſequendas res in teſtamento relictas competitura fuiſſet & hinc eſt, quod Advocatus qui ex liberâ voluntate querulanti advocationem præbuit, actiones ſuas ad relictum conſequendum amittat arg. *à contrario l. ult. ff. h. t.* niſi tamen, vel ex neceſſitate officii, dum per judicem coactus fuit, vel tutorio nomine, ad querelam acceſſerit arg. *l.* 5. *§.* 13. *ff. de his, quæ ut indign. auferunt*: *§.* 4. 5. *l. h. t.*

§. 4. Quia omnibus actionibus ſua meta præſcripta eſt *l.* 4. *C. de præſcription.* 30. *vel* 40. *annor.* niſi quod ſola proclamatio ad libertatem inpræſcriptibilis relinquatur *l. ult. C. de longi tempor. præſcript. quæ pro libertat.* ideo etiam querela, cui quinquennio præſcribitur, poſt lapſum ejus ſopita erit *l.* 8. *§. ult. l.* 9. *ff. h. t.* ita tamen, ut computatio à tempore aditæ hæreditatis ineatur *l.* 34. *in fine C. l. pen. §.* 2. *pr. C. h. t.* quia ante aditam hæreditatem hæres non exiſtit, quicum agi poſſit, adeoque regula obtinebit, quæ dictat, agere non valentibus nullam currere præſcriptionem: & hinc eſt, quod lite pendente ſuper teſtamenti validitate quinquennium non currat *l.* 16. *C. h. t.* Quod autem diximus, querelam ex morâ quinquennali penitus exſtingui, hoc non eſt perpetuum, ſiquidem aliquando ex juſtiſſimà cauſâ diſpenſatio fiat, ſine ullo querelæ (quantum ad effectum) præjudicio, niſi quod libertates ſub onere viginti aureorum ratæ maneant *l.* 8. *§. ult. l.* 9. *ff. h. t.* minoribus hocce quinquennium non currere non eſt, quod dubitemus, cum nec longi temporis præſcriptio contra eos locum ſibi vindicet *l.* 2. *& ult. C. quib. cauſis in integr. reſtitut. non eſt neceſſaria.*

§. 5. Sunt etiam quædam teſtamenta, quæ querelam nequaquam admittunt, licet nullum ritum vel inſtitutionis, vel exhæredationis contineant, ſed planè neglexerint: Veluti *Primo*: teſtamenta militaria, modo militiæ, non domi facta ſint ab eo, qui in numerum relatus ſtipendia meret, quia ſi domi facta eſſent, juris civilis ſolennitatibus muniri debebant *l.* 17. *C. teſtam. milit.* hæc teſtamenta querelam quidem excludunt in perpetuum, donec teſtatores militant, verumtamen à miſſione ſive honeſtâ, ſive cauſariâ non ultra annum *l.* 8. *§.* 3. 4. *ff. h. t.* & hæc quidem

 obti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

obtinent, ſive conſideremus teſtamentum patrisf. ſive filiif. ſive exhæredationem, ſive præteritionem *l.* 9. 24. *C. h. t.* miſſio autem ignominioſa (ne ſilentio prætereatur) teſtamentum ſtatim querelæ ſubjectat *l.* 26. *pr. & §.* 1. *ff. de Teſtam. militari*: *Secundo* teſtamenta ſuper caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi peculio *l. ult. §.* 1. *C. h. t.* præſuppoſito eo, quod teſtator maneat ſub patriâ poteſtate, alias enim evaneſcit peculiorum diſtinctio *d. l. ult. §.* 2. *C. h. t*: Diſputatur quidem inter juris interpretes, an circa teſtamenta militaria, & ea, quæ ſuper caſtrenſi vel quaſi peculio conduntur, jus novum nihil immutaverit *per Nov.* 115. *Cap.* 3. 4. ſed mihi non videtur illud admittendum eſſe, quia in *d. Nov.* nec veterum legum ulla expreſſa correctio eſt, nec neceſſariò earum correctio indè elicitur, nam *d. Novella* facile reſtringitur ad bona communia filii emancipati, quinimo neceſſariò, ut generalitas ejus de generali jure diſpoſuiſſe videatur: *Tertio*, teſtamenta paterna quantum ad tabulas pupillares *l.* 8. *§.* 5. *ff. h. t.* ratio hæc eſt, quia querela non poteſt intentari hoc caſu conſideratione impuberis, quippe qui eas tabulas non fecit, nec conſideratione patris, quippe cujus teſtamenrum, quantum ad tabulas illas, non erat: adeoque de neutrius injuriâ præteriti conqueri poterant.

§. 6. Aliquando etiam querela tollitur, veluti, ſi tranſactio datione, vel ſtipulatione confirmata intervenerit *l.* 6. *C.* juncta *l.* 4. 15. 17. *ff. h. t.* ſecus ſi pacto; ita non contrariatur *d. legibus l.* 27. *ff. h. t.*

§. 7. Porro: Evadunt querelam teſtamenta, in quibus exhæredatio juſtâ de cauſâ teſtamento inſertâ facta eſt, ſi modo cauſam hæres probare potuerit, nam ſi in probatione defecerit, haud dubiè querelæ ſuccumbet, & ita is, qui cauſam inofficioſi obtinuit, ab inteſtato hæres erit, ſaltem jure novo quantum ad inſtitutionem, quæ omnia patent ex *Nov.* 115. 3. junct. *l.* 34. *C. h. t. & d. Nov.* 115. *Cap.* 2. junct. *l.* 6. *§.* 1. *ff. h. t.* ſed illud difficultate non caret, utrum ſi vel nulla cauſa, vel non qualificata in teſtamento adjecta fuerit, adhuc tamen querela reſervanda ſit, an vero teſtamentum propterea in nullitatem recidat? Et quamvis in hac quæſtione numero vincant *teſte Vinnio*, qui querelam rejiciunt, & ipſo jure corruere teſtamentum affirmant, nihilominus tamen mihi cum *Vinnio* & quos citat hic, contraria ſen-

tentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

tentia de jure verior videtur, quia, cum ſola exhæredatio ritè facta, id eſt pure, nominatim, & à tota hæreditate *l.* 3. *§.* 1. *l.* 19. 21. *ff. de liber. & poſthum. adde l.* 28. *ff. h. t.* de jure veteri ſufficiat ad validitatem teſtamenti, ab eo jure ſine expreſſâ correctione recedi non debet, nec enim Imperetor *in d. Nov.* 115. *Cap.* 3. 4. jus illud vetus correctum voluit, nam non agit de intrinſecâ teſtamenti ſolemnitate, rituve exhæredationis, ſed tantum normam nobis præſcribit, ex cujus obſervatione, vel omiſſione exhæredatio vel juſtè, vel injuſte facta cenſeatur: Verumenimverò nec juſtitia exhæredationis querelam penitus excludet ut dictum hic *in pr.* quia tamen probatio requiritur: Nec injuſtitia protinus ipſo jure annullabit teſtamentum alioquin ritè factum, ſed mediante querelâ inofficioſi, quoad inſtitutionem, reſcindi faciet, quod non obſcurè ex *d. Nov.* 115. *l.* 3. 4. *in fine* patere poteſt; nec obſtat, quod objiciunt diſſentientes argumentum ex *l.* 5. *C. de ll.* nam reſpondeo, quod lex illa ſæpe ſuas amittat vires, & quidem præcipue, quando lex prohibitoria remedium reſciſſorium nobis ſuggerit, uti fit *in d. Nov.* nam quod ibi dicitur teſtamentum debere propter injuſtam exhæredationem reſcindi, proculdubio de querelâ intelligi debet, quia ſi intelligeretur de ipſo jure, teſtamentum non tantum quoad inſtitutionem evacuaretur, ſed planè in nullitatem recideret, nam ſolâ ope querelæ cætera capitula firma remanent *d. Nov.* 115. *Cap.* 3. 4. *in fine.* nec denique obſtat illud, quod exhæredatis ſine elogio fruſtra detur actio, in qua ſuccumbere nequeunt: Nam reſpondeo, non fruſtra eſt quod defuncti voluntas extra ſolam inſtitutionem in cæteris reſervetur.

§. 8. Quia jam de effectu juſtæ, & injuſtæ exhæredationis quædam dicere cœpimus, non abs re erit, ſi ſemel inquiramus de ipſis cauſis, earumque numero, ob quas exhæredatio juſtè, vel injuſtè facta intelligitur; & ut breviter dicam: enumerantur in liberis quatuordecim *Nov.* 115. *cap.* 3. in parentibus octo *d. Nov. cap.* 4. & in fratribus tres *Nov.* 22. *cap.* 46. *l.* 11. 27. *C. h. t.* quâ occaſione vulgata illa quæſtio occurrit, an hæ cauſæ ex rationis idenditate, vel majoritate, ad ſimiles, vel graviores cauſas extendi poſſint? quod primâ quidem fronte poſſet videri negandum, quia Imperator in *d. Nov.* 115. *cap.* 3. & in *Auth. non licet C. de liber præterit.* aſſerit ſe nominatim cauſas exhæredationis eâ conſtitutione com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

prehendiſſe, ut præter illas nulli liceat ex aliis legibus alias ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in d. conſtitutionis ſerie continerentur: facit & eo, quod exhæredatio, utpote odioſa reſtringenda, nec ullâ interpretatione adjuvanda ſit *l.* 19. *in fin. ff. de liber & poſthum.* Sed tamen his nihil obſtantibus ſumma mihi ratio contrariam ſententiam aſſuadere videtur: & primo quidem, quia natura legis eſt, extendi ad ſimiles cauſas, dum impoſſibile eſt, (naturâ ſemper novas ſceleris formas edere deproperante *lib. feud.* 2. *tit.* 24.) omnes caſus legibus comprehendi *l.* 10. 11. 12. 13. *ff. de ll.* unde poſitâ priori ſententiâ ſequeretur, quod Imperator, vel voluiſſet perficere, quod planè impoſſibile erat, dum tentaſſet omnes caſus ſuâ conſtitutione comprehendere, vel quod conſtitutioni ſuæ voluiſſet vim legis detrahere, dum extenſionem ex parilitate rationis prohibuiſſet, quod neutrum probabilitet admitti poteſt: denique ad noſtram ſententiam moveor, quia ea ipſa ex mente ipſius Imperatoris non obſcurè colligitur, dum aſſerit, nulli licere extra ſeriem ſuæ conſtitutionis alias ingratitudinis cauſas ex aliis legibus opponere veluti ex *l.* 18. *Auth. ſed ſi* l. 30. 33. §. 1. C. *h. t.* aliiſque in quibus ingratitudo vel ex leviſſimâ cauſâ pro ſubjectâ materiâ juſta, & ſufficiens exiſtimabatur, adeoque excluduntur quidem ab Imperatore cauſæ ex aliis legibus, quippe quibus cauſæ non ſatis dignæ continentur, ſed hoc non debet extendi ad alias æquè ſufficientes cauſas, quas natura quotidie novas edere deproperat: Quinimo Imperator eum in finem cauſam quandam adhuc arbitrariam non inconſultò dereliquit *d. Nov. cap.* 3. §. 2. Sub qua aliæ ſimiles commodè comprehendi poſſent: nec eſt quod diſſentientes verbo nominatim tam mordaciter inſiſtant, nam hoc referendum eſt, ſolum ad excluſionem leviorum cauſarum, quæ antiquis legibus continentur, quia arbitrium cauſæ in *cap.* 3. §. 2. repugnat, ut vis excluſiva ad ſimiles, vel graviores cauſas verbo nominatim aſſcribatur; neque etiam obſtat, quod odioſa non debeant extendi: Nam reſpondeo; hoc intelligi debet de iis, quæ odioſa ſunt odio rationabili, non vero irrationabili, uti hìc, nam exhæredatio irrationabiliter odioſa eſt, quando filius ſufficienter ingratum ſe geſſit, adeoque multo magis odioſum eſt, & odio quidem rationabili, quod pater teneatur filium ingratum hæredem ſibi habere, nec poſſit eum ex merito exhæredem facere. arg. *l.* 10. *ff. h. t.*

§. 9. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

§. 9. Sed quia verſamur impræſentiarum circa cauſas exhæredatiouis, videndum eſt, quid de reconciliatione inter patrem & filium ſtatui debeat: & ut breviter dicam; reconciliatio ope querelæ exſtinguet cauſam exhæredationis excipiendo cauſam remiſſam eſſe *arg. l. 3. in fin. ff. l. 4. ff. de adimend. vel transfer. legat.* nec placet quorundam probata diſtinctio, utrumne ante, an vero poſt ſcriptam exhæredationem reconciliatio intervenerit *arg. l. 23. ff. de liber & poſthum.* nam d. Lex hoc tantum innuit, quod ex adrogatione non neceſſariò colligatur facta reconciliatio, ſiquidem ea conditionis implendæ gratiâ aliquando fieri debet: ſed contra quoque quæritur, an pœnitentia filii idem operetur, quod reconciliatio verum hoc nullo modo mihi admittendum videtur, quia injuria illata ſolâ pœnitentiâ aboleri nequit *l. pen. ff. de vi bonor. raptor. l. 65. ff. de furtis*: Non deſunt tamen, qui & hic diſtinguendum eſſe putant inter cauſas concernentes patrem, & cauſas concernentes filium, ut ſaltem poſteriori caſu pœnitentia cauſam exhæredatonis ſummoveret: ſed planè ſupervacuò adhibetur illa diſtinctio: nam eo caſu non tam pœnitentia cauſam exſtinguit, quam ipſa cauſa, necdum perfecte conſtituta, exhæredationem injuſtam arguit, *vid. Nov. 115. cap. 3. §. 10. 11. junct. l. 23. C. de nuptiis.*

§. 10. Ultimo denique ceſſat querela, ſi legitima relicta ſit; circa quam vero, ut rite exponatur, variam in anteceſſu juris mutationem obſervare licet: olim enim ſufficiebat, ſive relicta eſſet titulo inſtitutionis, ſive legati, ſive fideicommiſſi, ſive donationis, ut ne quidem attenderetur, utrumne ea cauſâ mortis, an inter vivos facta eſſet, modo hoc caſu poſteriori in quartam data foret *§. ult. J. h. t. junct. l. 25. ff. h. t.* & horum ratio eſt, quia non videbatur injuriâ affectus, qui aliquid ex judicio defuncti perceperat, nullâ tituli habitâ ratione: verum hæc ita ſeſe habebant ſi tota legitima relicta eſſet, ſi vero minus, querelæ iterum locus fiebat, niſi tamen adjectum eſſet, ut id, quod minus relictum eſſet, boni viri arbitrio ſuppleretur *l. 25. ff. h. t.* & argumento correctionis in *l. 30. C. h. t.* ſed jure novo (ut antiquata miſſa faciamus) legitima ſolo inſtitutionis titulo relinquenda venit *per Nov. 115. cap. 3. 5. pr.* ubi aſſerit Imperaror, non licere penitus parentes liberos ſuos exhæredare, vel præterire, quamvis iis integra debita portio quovis titulo particulari reliquerint, niſi probabuntur ingrati, & cauſa ingratitudinis nominatim teſtamento inſeratur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

tur, qualificans ita ſolum inſtitutionis titulum, quâ viâ (ut teſtatur ipſe in *d. cap.* 5.) omnem injuriam à liberis, & parentibus, quam pleniſſimè auferre proponit, quæ illis per exhæredationem, vel præteritionem inferri ſolebat; adeo ut jure novo non tam defectus legitimæ, quam neglecta inſtitutio, vel exhæredatio querelam pariat, nam, ſi modo quantulacunque portio, legitimam nequaquam exæquans, titulo inſtitutionis relicta ſit, excluſâ querelâ, actio ad ſupplementum ex *l.* 30. *C. h. t.* inſtituenda erit *d. Cap.* 5. *pr.* quando igitur alicubi dicitur, quod legitima titulo Inſtitutionis debeat relinqui, cave intelligas illam integram debere competere ex jure hæreditario, nam ſufficiet quantulamcunque partem inde relictam eſſe, quia eo ipſo Imperator ſcopum ſuum aſſequitur, injuriâ ſcil. exhæredationis per inſtitutionem ſublatâ *d. Nov.* 115. *cap.* 5.

§. 11. Cum jam dictum ſit, quod querelam excludat legitima, videamus, quid ſit ipſa legitima: definitur à juris DD. quod ſit portio portionis ab inteſtato debitæ: quæ olim erat quarta in ſingulis liberis: jure autem novo pro numero liberorum augmentum accepit: ſecundum illud tritum,

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem
Semiſſem verò, fuerint, ſi quinque vel ultra.

Quod augmentum non ad ſolos liberos coarctandum eſt; ſed, ut loquitur ipſe Imperator in *Nov.* 18. *cap.* 1. *fin.* in omnibus perſonis in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioſo lege decreta eſt, illud obſervari debet: hic opportunè quæri poteſt? An exhæredatus in computatione legitimæ numerum liberorum augeat? quod omnino negandum eſt, modo ſucceſſu amplius agere exhæredatus nequeat, dum vel repudiatione, vel ſententiâ, vel quinquennali præſcriptione excluſus eſt: ratio eſt, qnia talis filius habetur pro mortuo *l.* 1. §. 5. *ff. de conjung. cum emancipat. liber. l.* 10. §. 4. *ff. de B. P. contra tabb.* quia paria ſunt, nullos habere liberos, vel exhæredatos §. 3. *in med. J. de ſucceſſion. liber.* quia ceſſat cauſa augendæ legitimæ, liberorum pluralitas, ex quâ extenuatur eorum portio, ceſſante autem cauſâ ceſſat ejus effectus, facit hùc denique, quod ratio legitimæ olim in ſingulis liberis habebatur §. *ult. I. h. t.* jam autem augmentatio, cum ſit in favorem liberorum facta, non debet in eorum odium retorqueri *l.* 6. *C. de ll.* nec obſtat *l.* 8. §. 8. *ff. h. t.* quia iſte filius ſucceſſu adhuc agere poteſt: ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

ſed etiam quæritur, an ex hæredatus non minuat legitimam, ſcriptoque hæredi ſuam partem attribuat, quod aliis brevius dicitur, an exhæredatus cæteris partem faciat. Quod etiam (retento noſtro præſuppoſito) nequaquam admittendum eſt per *l. 17. ff. h. t.* Sed & pars, quæ ad eum pertinuiſſet, accreſcet cæteris, qui cum ſucceſſu adhuc queri poſſunt *per l. 23. §. ult. ff. h. t. junct. l. unica C. quando partes petent. non. petentib. accreſ. & Nov. 22. cap. 25. pr.* quod ſi vero exhæredatus cum effectu adhuc agere poſſit; cæteris partem facit *l. 8. §. 8. ff. h. t.* & ſiquidem cæteri moræ impatientes protinus ad querelam convolent, nequaquam poterunt integram legitimam, id eſt (ſi quatuor numero ſint) trientem tres cæteri vindicare, ſed tantum quadrantem *arg. l. 17. ff. h. t.* ita tamen ut ſi totam trientem petierint, & forte hærede ſcripto non contradicente obtinuerint, victoria non ſolum victoribus, ſed etiam quarto fratri, qui non egit haud dubie proderit *arg. l. 6. §. 1 ff. h: t.*

§. 12. Antequam huic diſputationi finis imponatur duo adhuc dubia enodanda veniunt: primum eſt, utrumne legitima ſit quota bonorum, an vero hæreditatis? quæ prior ſententia mihi probabilior videtur, non ſolum, quod eo nomine ſæpiſſimè in jure indigitetur, uti videre eſt in *l. 8. §. 9. ff. l. 6. C. h. t. l. 2. §. 1. ff. fam. erciſc.* ſed præterea, quod computatio ejus ineatur deducto ære alieno, quemadmodum bona computari ſolent *l. 8. §. 9. ff. h. t.* junct. *l. 39. ff. V. S.* quod ſecus eſt in hæreditate, quippe quæ & onera, directo contra naturam legitimæ, in ſe continet *l. 208. ff. V. S.* quæ tamen legitima, ſi quota hæredltatis dici deberet, neceſſario conſequenter oneribus hæreditariis ſubjiceretur, nam quod juris eſt in toto, idem juris erit in partes totius; nec moveor, quod legitima aliquando dicatur hæreditatis quota, nam reſpondeo hoc vel improprie fit, vel ut legitima, ſi quando titulo inſtitutionis olim eſſet relicta, diſtingueretur ab iis caſibus, quibus particulari titulo relicta erat. Sed inquies: legitima, quia jure novo ſemper titulo inſtitutionis relinqui debet, ſemper etiam de eo jure quota hæreditatis appellari debet: Verum reſpondeo: quod titulus inſtitutionis in favorem legitimariorum introductus, ut gaudere poſſent jure accreſcendi, in eorum odium retorqueri non debeat, ſubjiciendo ipſos oneribus hæreditariis, *l. 6. C. de ll.* nec denique obſtat, quod legitimarius ſit hæres, nam hoc non de effectu juris, ſed de titulo tantum intelligendum eſt, quia legitimarius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

marius in legitimâ, tanquam in re certâ inſtitutus conſideratur *Nov.* 115. *Cap.* 5. qualis legatarii loco habetur *l.* 13. *C. de hæredib. inſtituend.* ſaltem quantum ad onera hæreditatis.

§. 13. Alterum dubium eſt, an legitima ſtatuto tolli, vel minui poſſit? in id autem, quod minui poſſit, communiter quidem conſentiunt juris interpretes, ſed an tolli poſſit, graviſſime diſputant: negativa ſententia fundata eſt in *Nov.* 1. *Cap.* 1. *fin.* ubi videtur dici, quod legitima ſit ex jure naturali, quæ autem juris naturalis ſunt, ea à jure civili temperamentum quidem habere poſſunt, ſed nequaquam in totum tolli §. *pen. I. de jure natur. gentium, & civili*: verum his nihil obſtantibus affirmativam amplector ſententiam, quod enim dicitur in *d. Nov.* legitima debetur ſecundum naturam hoc intelligendum eſt, ſecundum commune parentum votum, & inſinuatam à naturâ inclinationem, uti tota ſucceſſio debetur *l.* 7. *ff. de bonis damnat.* & quæſo, quomodo poſſet legitima deſcendiſſe ex jure naturali, quandoquidem lex naturalis nihil potuerit diſpoſuiſſe de legitimâ, quia eſt poſterior dominiorum diſtinctione, quæ ipſa demum ex jure gentium fluit: *l.* 5. *ff. de juſtitia & jure* ita ut concludam, legitimam potius juri civili aſſcribendam eſſe *Nov.* 18. *Cap.* 1. *fin.* ac proinde contrario jure civili haud dubie tolli poſſe: nam nihil magis naturale eſt, quam eodem modo quid ſolvi, quo colligatum erat: Huc etiam facit remiſſa neceſſitas relinquendi legitimam in teſtamento militis *l.* 9. 24. *C. h. t.* non aliâ procul dubio de cauſâ, quam quia militis teſtamentum legibus civilibus ſolutum eſt: hæc ita pro ingenii mei tenuitate ſufficiant, & ſi quem quomodocunqne modo ad legendum induxerim, ſincerum mihi candore debito reddat judicium peto.

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

COROLLARIA.

I.

Venditor, licet habeat facultatem rei tradendæ, præciſè tamen ad traditionem cogi nequit, ſed liberabitur præſtatione ejus, quod intereſt.

II.

Ceſſio facta extraneo nequaquam operatur uſusfructûs amiſſionem.

III.

Fidejuſſor in majorem ſummam fidejubens, quam principaliter debebatur, tenetur ad ſummam concurrentem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

IV.

Corporis defenſio (non bonorum) etiam cum nece adverſarii permiſſa eſt.

V.

Uſucapio non pugnat cum naturali æquitate.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

ERUDITISSIMO

Viro-Juveni

PETRO VELDTHUYS

cum

poſt doctam

DE

Inofficioſo Teſtamento

ediſſertationem

Advocatorum ordini inſereretur.

Ergò jam Lauros, poſt tot ſuperata laborum
Agmina, *Veldthuſi*, Janua veſtra capit,
Et ſic, quæ dudum meruiſti præmia, victor
Lætus habes, ſtudiis condecorata tuis.
Gratulor has Lauros, exantlatoſque labores,
Gratulor hæc ſtudiis præmia digna tuis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Macte animo, Juvenis, cæpiſti quo pede, pergas
  Intrepidè trepidos contueare reos:
Sed, quoniam invitâ tentamus cuncta camænâ,
  Nec ſatis in laudes noſtra Minerva tuas,
Abſolvam; modò diva Themis te ſuſpicit ipſa
  Præſidium & ſuadæ vultque, cupitque tuæ.

Ex tempore cecinit

C. E. P.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 13